

ius confessio actio confessoria conceditur. l. 23. §. f. l. 25. §.
1. ff. ad L. Aquil.

§. XXXIX.

Actio isthæc confessoria est actio personalis, quæ dicitur adversus in jure confessum ad consequendum id, quod ex facto confessi Adversarii debetur. Dividitur in directam & utilem, d. l. 23. §. f. l. 25. §. 1. ad L. Aquil. Datur illi, cujus intentionem Reus in jure absolute confessus est, e-
jusque successoribus adversus confessum ejusdemque heredes, arg. l. 6. §. f. de re jud. Forma est ut dicat Actor: Confessum in jure fuisse Titium Adversarium suum, se ei 100. ex mutuo debere, petere ergo se Titium ad ista 100. solvenda adstringi.

§. XL.

Effectus confessionis in judicio factæ tantus non est, ut pro judicato habeatur, sed confitens ipse à iudice per sententiam condemnandus erit. l. 74. ff. de judic. plenam tamen inducit probationem contra confitentem & ejus heredes *Wesenb. Conf. 4. n. 14. Geil. l. 2. Obs. 116.* Hodie tamen postquam ipsi Magistratus cœperunt judicare, & Judicum pedaneorum officium cessat, etiam discrimen inter confessionem factam in jure & in judicio sublatum est, ita ut jam statuunt Interpp. Confessionem nullibi hodiè amplius quid, quam probationem inducere, adeoque confessum semper insuper à iudice condemnari debere, *Alex. Conf. 127. aliique citati à Wesenb. w. b. n. 8. ubi vid. not. Bach. & Habn. quem omninò circa hanc materiam adi.*

D

§. XLI.